



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

67. Triplex & Unus religiosus Ordo sub titulo S. Crucis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 65.

Tres primores regij sanguinis in Chynâ sacro fonte abluti, &  
SSS. trium Regum nominibus appellati.

**T**Resquè salutifero baptis matis amne renatos,  
Prognatos Regum sanguine Chyna videt.  
Melchior hic audit, cum Caspare, Baltasar alter,  
Ter gemini Regis nomine digna trias.  
Regia Mens Tripotens, summiq[ue] Tri-culmen honoris,  
Hoc socios Iesu donat honore Patres.

## SYMEOLUM 66.

De trium Regum Matre, cum filia & nepte ad fidem conuersis.

**V**estra, nec o Patres, hoc, gloria, limite stabit,  
Debetur meritis major honoris apex.  
Regia Nata fidem vobis cum nepte Magistris  
Præbuit, & Regum Mater alumna trium.  
Laureolas meritis tantisque laboribus æquas;  
Majestas lauros quot Tri-coronis habet?

## SYMBOLUM 67.

Triplex & unus religiosus Ordo.

**A**nte fatiscentis fatalia tempora mundi  
Ordo Crucis fulgens trinus & unus erit.  
Arma feret Christi, Bellantes ante phalanges;  
Hospitij reliquis ante-ferentius ope;  
In numeroque Deo promet pia cantica Clero:  
Symbolon hoc Triados Staurifer Ordo dabit.

N.

N. S. Franciscus de Paula vaticinatus est in epistola, quam  
scripsit Anno Christi 1469. die 13. Augusti ad Simonem de Li-  
mena Dominum Montalti, quæ etiamnum ibidem afferuntur,  
in quâ sic ait: ex te o Simon descendet Fundator novæ Religio-  
nis, quæ tres habebit partes. Prima erit equitum armatorum,  
secunda Sacerdotum, tertia hospitaliorum. Erit hæc Religio  
omnium ultima, magnum fructum afferet Ecclesiæ, extinguet  
maledictam Mahometis sectam, quin & hæreses omnes, ut fi-  
at unum ovile & unus pastor. In toto mundo non erunt nisi 12.  
reges; unus Imperator, & unus Pontifex, & pauci principes,  
qui omnes erunt sancti. Idem in alijs epistolis eundem Ordinem  
vocat Cruciferorum eò quod in vexillis suis præferent imaginem  
Crucis, vel Christi Crucifixi, pro quo pugnabunt; cuique  
subjicient tam Mahometanos, quam hæreticos, & pravos chri-  
stianos. Atque hæc omnia n Deo sibi revelata ac certò eventura  
asseverat. Ita P. Lucas Montoya in Chron. ejusdem Ord. sub  
finem. Idemque annotavit Corn. a Lap. in fine Comm. Apocal.

SUB-